



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1656**

§. 237. Dicent: Eli Eli Lamma Sabachthani. Quod est interpretatum Deus  
meus Deus meus vt quid dereliquisti me. v. 34.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45533**

turus testamentum ad patrem conuocando quodammodo omnes creaturas in testimonium suæ acerbissimæ passionis & mortis quam patereetur pro omnibus reficiendis maximè rationalibus exclamauit vt *attenderent, & considerarent, si est dolor sicut dolor eius.* si non superque satis fecisset pro ijs redimendis, si quid deesset, & si quæ sanguinis gutta superesset, paratum ad huc se pro illis effundere, ex puro amore cordis quò diligeret salutem & vitam hominum.

**O** Redemptor meus, quomodo potuisti, tam magna voce clamare, ita exsuccus, ira exhaustus! credo quod tua diuinitas supra omnem naturæ modum sustentauit, & animauit humanitatem illam suam, alias mille fueret exanimanda. Quid igitur dicam? quid gratiæ tam copiosæ redemptioni rependam? Sperabo in te non frangar pusillanimitate, dicam mihi: Apud Dominum misericordia & vere copiosa redemptio.

S. 237. *Dicent: Eli Eli Lamma Sabachthani. Quod est interpretatum Deus meus Deus meus vt quid dereliquisti me. v. 34.*

Ego audiens ista clamasse Dominum & timeo & gaudeo. gaudeo, quod pro me Saluator tam dura sustinuerit, vt ad talem clamorem sit adactus. Timeo, diuini iudicij altitudinem & profundum, qui tam seuerè in dilectissimo filio suo peccata nostra castigauit. Quid igitur faciam? pauper & tenuis sum ego, & sapientia Hominum non est mecum.

**E**go pactum hoc hodie tecum paciscor Domine mi, vt quoties in missa vel ipse dixerò Pater noster, aut cæta uero aut cantari ab alio audiuero, semper hæ septem petitiones sint memoria Sanctorum verborum tuorum septem in ara crucis prolatorum; & cum patena me signa uero & vultum sic operuero tunc repræsentem populo tenebras factas super vniuersam terram.

S. 238. *Et quidam de circumstantibus dicebant. Ecce Eliam vocat. v. 35.*

Inter cætera tormenta quibus homines se affligunt etiam est illud, quod verba vnius alter detorqueat longe aliter, quam loquens intendit & iocum risumque ex tali detorsione captare intendit. Hoc fecerunt in Domino illusores. Eloi, flexerunt in Eliam, quasi Deo deserto iam non illum amplius invocaret, sed vnum ex sanctis, Eliam scilicet. Faciunt hoc hodie quoque membris Christi desertores eius. Si quis dicit S. Maria ora pro me apud Deum, illum calumniantur deseruisse Deum, confregisse ad sanctos, cum & Deum retinuerit & SS. non abnegarit.

Deus